



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hyperdvlia Mariana**

**Berchmans, Johannes  
Canisius, Jacobus**

**München, 1636**

XI. Hyperduliae species, Deo, Deiparæque Virgini virginitatem vouere.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

## X I.

## HYPERDVLIÆ SPECIES.

DEO, DEIPARÆQVE  
Virgini Virginitatem vouere.

## §. I.

**Q**uisquis rarum, præclarum, pretio-  
sum, speciosum, fragrantemq; flo-  
rem Bisnagrensi apud Indos Regi, Regi-  
næq; offert, magnum vectigal affert. His  
namq; annum ex odoribus floribusq;  
vectigal pendi solitum accepimus non  
contemnendo quinque millium auro-  
rum pretio æstimatum. Talis omnino  
flos est Virginitas, & Virgo, de qua Ca-  
tullus in Epithalamio:

*Ut flos in septis secretus nascitur hortis,  
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,  
Quæ mulcent aere, firmat sol, educat imber  
Multi illum pueri, multa optaverunt puella;  
Idem cum tenui carptus defloruit Sagne,*

*Nulli illum pueri, nulla optavere puella:  
Sic Virgo, dum intacta manet, tum chara  
suis, sed*

*Cum castum amisit polluto corpore florem,  
Nec pueris iucunda manet, nec chara pu-  
ellis.*

Virginitas flos est non tantum teste  
Catullo pagano, sed & Gregorio Ma-  
gno, Christiano, cum ait. Flos est Vir-  
ginitas, flos martirium, flos actio bo-  
na; in horto Virginitas, in campo mar-  
tyrium, bonum opus in thalamo.

Deinde si quis Regi Reginaeque cui-  
cunq; inæstimabilem Smaragdum do-  
naret, haud dubiè & illorum oculos vi-  
nionis virore recrearet, & eosdem gem-  
mae pretio ad redhibendam liberali cli-  
entulo singularem gratiam suaviter in-  
uitaret. At eiusmodi Smaragdus est Vir-  
ginitas, seu potius symbolum huius,  
quòd hanc ille suo perenni claro grato-  
que virore clarum repræsentet, teste  
Pierio Valerio Hieroglyphicor. lib. 4.  
pag. 430. C. & quod sponte rumpatur, si  
quis

quis hunc fortè circumferens Veneri  
operetur.

Denique si quis Regi Reginæue cui-  
cunq; incomparabilem thesaurum do-  
naret, utique plus flore, smaragdóque  
daret. At eiusmodi thesaurus Virginitas  
est. Virginitas, inquit S. Cyprianus lib.  
de Virginitate est possessio omnium bo-  
norum: nam sicut qui thesaurum pos-  
sidet, omnia bona possidet, quæ thesau-  
ro comparari possunt: ita cui virginitas  
adest, omnia adsunt bona. Virginitas  
enim virtus est; virtus autem omnia in  
se habet. Nam teste Comico: Omnia  
adsunt bona, quem penes est virtus. At  
huiusmodi, est Virginitas constans, per-  
peruúmque deuota Deo. Grandis vir-  
tus est, inquit eruditissimus sanctissi-  
músque Dalmatarum, epist. ad Furiam  
de Viduit. seruand. & sollicitæ diligen-  
tiæ, superare quod nata sis, in carne non  
carnaliter viuere, tecum pugnare quori-  
die, & inclusum hostem, Argi centum o-  
culis (vt fabulæ ferunt) obseruare. Vir-

ginitas laudem, meritumque virtutis  
 habet; tum quod facultatem præbeat  
 sine impedimento (vt loquitur Aposto-  
 lus 1. Cor. 7. v. 35.) Dominum obse-  
 crandi, eique melius & perfectius ser-  
 uendi (virgo enim cogitat quæ Domi-  
 ni sunt, vt sit sancta corpore & spiritu,  
 quæ autem nupta est, cogitat ea, quæ  
 sunt mundi, quomodo placeat viro;  
 tum quod maius bonum sit nullas car-  
 nis illecebras experiri, quam in earum  
 experientiâ non inordinate gaudere,  
 quod pertinet ad castitatem communi-  
 ter dictam, vt rectè Doctor Aquinas 2.  
 q. 152. a. 3. tum quod oppidò labor-  
 riosum sit, ac arduum, seruare florem  
 Virginitatis integrum in corpore sem-  
 per ad incontinentiam suis importunis  
 moribus sollicitante; despiciere solatia  
 coniugij, consecutura liberorum præ-  
 sidia & auxilia aspernari, posticas mun-  
 di sannas animo inuictò sustinere, mo-  
 destiam summisionem, reliquasque  
 id genus virtutes, indiuiduas omnino  
 semi-

comites veræ laudatæque Virginitatis. Hinc ea vel eò non communi virtutum moralium choro, sed Heroicarum, quæ sunt insignes animi purgati dotes, accensetur. Itaque thesaurus & omnium possessio bonorum Virginitas est.

Cæterùm huiusmodi florem rarum, præclarum, speciosum, pretiosum fragrantemque; huiusmodi Smaragdum prorsus inæstimabilem; talem Berchmannus thesaurum prorsus incomparabilem, Regi, Reginaeque Cælitum in ipso Smaragdino, ut ita loquar Vernantis ætatis virore, ac flore lubens, volens dedit, dicavit, sancteque per æterni religionem voti penitus addixit. Notatum ab eo reperitur (inquit Virgilius Ceparus in eius Vitæ part. 1. pag. 29.) nuncupasse priuatim tria religionis vota post primum tirocinij annum exactum, ut arctius sese Deo alligaret ad XXVII. Septemb. Anni M DC XVII. legiturque non modò in schedis manu scriptis, sed

& in chartis typo pressis à pueritiâ ve-  
nisse cum Virginitatem suam Deo, ad  
honorem Virginis Matris.

Porro Berchmannus sicut Virginita-  
tem suam per æterni religionem voti  
lubens volens Deo, Deiparæque conse-  
crarat, ita non minori religione, curaque  
votum reddere allaboravit. Meminerat  
enim vouentibus omnibus, sibi que im-  
primis dictum credebat: Cum votum  
voueris Domino Deo tuo, non tardabis  
reddere, quia requiret illa Dominus  
Deus tuus, & si mortuus fueris reputa-  
bitur tibi in peccatum. Et: Si quis vi-  
rorum votum Domino vouerit, aut se  
constrinxerit iuramento, non faciet irritum  
votum suum, sed omne quod pro-  
misit, implebit. Et: Vouete, & reddite  
Domino Deo nostro. Et: Si quid vouerit  
Deo, ne moreris reddere: displicet  
enim ei infidelis & stulta promissio. Et  
verò quamuis Virginitatis professio ac  
deuotio, cuicumque homini antequam

*Deuteron. cap 33.*

*eam*

*Num. 30. Psal. 75. Eccles. 5.*

eam vouerit arbitraria sit, tamen postquam vouerit necessaria est. Sunt enim quædam, inquit eruditissimus, sanctissimusque Hipponensium Antistes, quæ etiam non vouentes debemus; quædam etiam quæ nisi vouemus, non debemus, sed postquam ea Domino promissimus, necessario reddere constringimur. Ananias Deo pecunias vouerat, quas post vitus persuasionem diaboli subtraxit. Sed morte mulctatus est, ut recte Magnus Gregorius animaduertit. Si igitur ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, quantas dabit in diuino iudicio pœnas, qui non pecunias, sed Virginitatem suam, seque ipsum voti religione iam semel, perpetuoque consecratum, per nefarium omnino sacrilegiū aufert Deo, Quamobrem ne quo se Berchmannus

G 5 forte

*S. Augustin. Et habetur 17. q. 1.  
cap. Sunt quedam.*

*S. Greg. in Registr. Et habetur 17.  
q. 1. cap. Ananias.*



forte sacrilegio impiaret, Virginitatem suam DEO Deiparaeque deuotam, seruare Vigilia, inedia, oratione, corporis afflictatione, reliquaque id genus a seclis, studuit illibatam.

Neque contentus Virgineâ suimet corporis integritate, eandem suis in proximis incorruptam desiderauit. Quapropter inter alia, nullum non lapidem mouit ne quam fortè daret alii ansam prauæ cupidinis ex aspectu sui. Itaque duodecim salutationum Angelicarum recitatione, Virgineam B. MARIÆ puritatem meditatus, quotidie eandem fatigabat, vt & ipse sermonum moribusque afflare alijs posset amorem puritatis, omnemque depellere cogitatum castimonie repugnantem; vt ipse videlicet sui aspectu, omnem humanis mentibus cogitationum lasciuiam depellebat. Quas preces iteris commendatas his verbis faciendas conceperat: Beata Virgo impuras alio-

rum cogitationes suo aspectu pellebat,  
pete & tu, vt tua conuersatione, casti-  
tatis amorem ingeneres in alijs, &c.  
Quinimò non existimabat se vel esse  
vel dici posse filium B. Virginis, nisi vel  
accuratissimus esset Vigil, custos, tu-  
torque suæ Virginitatis, vt ex hac eius  
syngraphâ liquet: Si vis esse filius B.  
B. Virginis, zelator esto tuæ castitatis.  
Et verò tantus fuit ipse castitatis suæ  
zelotes, vt per omnem vitam, nihil  
vnquam in eo notatum sit aut gestu so-  
lurius aut signis lasciuus, aut verbo  
actiue contrarium puritati. Cùmque  
esset ingenio alioqui iacundo ac blan-  
do, hîc semper seuerissimus extitit. At-  
que vt gratia comitatèque alliciebat  
omnes: ita singulari morum verecun-  
diâ, castitatis amorem in animis (ve  
diximus) intuentium excitabat; vide-  
banturque ab oculis eius quidam  
quasi radij vibrari, quibus aspicien-  
tes ad castimoniam accendebar.

Si ipsius verò custodem egit circumspectione, ac seueritate tanta, vt quem lecti locum corporisq; situm, in decumbendo Vesperis semel fuisset sortitus, eundem absque omni motu, seu frigore seu æstus esset, in auroram vsque tenuisse deprehenderetur. Quem morem religio quo vitæ cursu constantissimè seruauit.

## S. I I.

*Primum Virginitatis Sota præmium.*

Sed quod fuit huius Hyperdulix præmium? Hoc, quòd Berchmannus huius necessitudine religionis votique adstrictus, facilius, compendiosius, commodius Virginitatem, quam D E O Deiparæque vouerat, illibatam seruauit. Nempe qui Gordio alligauit nodo suum pectus præsepis, non tam facile aut Autolyco aut Caco debuit damnum; qui sacrum suum nauigium anchoræ deuinxit, neque Æolo ludibrium neque Nepruno naufragium imputauit. Religionis votique nodus, torques est aureus, quo quisquis induitur, non tam constringitur, quam decoratur.

Verum

Verum enimvero qui voto constrin-  
gitur, aliquam pati necessitatem vide-  
tur. Sed: Felix, inquit S. Augustinus epi-  
stola ad Armentarium, necessitas, quas  
ad meliora nos compellit.

## §. III.

*Alterum Virginitatis Sota premium*

Est, singularis DEI, Deiparæque Vir-  
ginis erga Berchmannum Virginem a-  
mor. Plus amat Virgines Christus ( ut  
loquitur S. Hieronym. lib. I. cont. Iou-  
nianum ) quia sponte tribuunt, quod si-  
bi non fuerat imperatum, maiorisque  
gratiæ est offerre quod non debeas,  
quàm reddere quod exigaris. Plus igitur  
amat Berchmannum Virginem filius  
Virginis, quèmq; hic plus amat, nun-  
quid illum suo ab amore Virgo Mater  
excludat?

## §. IV.

*Tertium Virginitatis Sota premium.*

Tertium Hyperdulciæ præmiū etiam  
in terris redhibitum, est immortalis me-  
moria & apud Deum hominèsq; notū-  
tia.

titia, secundum illud Sapient 4. O quarta  
pulchra est casta generatio cum clarita-  
te! Immortalis est enim memoria il-  
lius, quoniam & apud Deum nota est  
& apud homines.

§. V.

*Quarta Virginitatis vota premium.*

In cælis, vti spes, Berchmanno pro Vir-  
ginitate DEO Deiparæque deuota, iam  
redditum est, aureola à Ioanne Euange-  
lista, Propheta, Martyre, Apostolo, Virgi-  
ne Virginibus omnibus prædicta & præ-  
missa, nempe nouum canticum, & vic-  
tissimus Agno diuino locus, &c. Secun-  
dum illud Apocalypsis 14. Et cantabant  
quasi canticum nouum, & nemo pote-  
rat dicere canticum nisi illa centum  
quadraginta quatuor millia, qui empti  
sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus  
non sunt coinquinati, Virgines enim  
sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque  
ierit. Hi empti sunt ex hominibus præ-  
mitiæ DEO & Agno &c.

## S. V L.

*Quintum Virginitatis Vota præmittit.*

Prædicto virginitatis voto precibusque alijs à Virgine & Virginis filio non in sui solius, sed in aliorum quoque (quorum non poterat in terris effugere oculos) commodum & gratiam Berchmannus impetrauit, & huiusmodi fuit. Complures qui suam ipsorum experti imbecillitatem, non audebant in vultum cuiusquam intueri, ne concitatis appetitibus commouerentur (quod consilium à sanctioris quoque vitæ magistris laudari consuevit, dum asserunt non licere vel oculo delibare, quod nefas sit animo concupiscere) contra tamen ab ipso Berchmanni adpectu se vim sensisse contrariam ingenuè fassi sunt. Quique obrutum in eo figebant, non solum non subibant pudicitiae discrimen, sed periculi eius securi, cum delectatione sanari, insuper castas quasdam illecebras, morémque sanctum puritatis in se experiebantur. Multi quoque iurati testimoniū

*Cepar. pag. 88.*

di-

dixere, se, quoties obuiam ille fieret  
veluti sancti cuiusdam interuentu comp-  
pulsos ad animum gestusque compo-  
nendos.

## §. VII.

*Sextum Virginitatis Sotæ premium;*

In aliorum itidem gratiam potius,  
sed Berchmanno gloriosum, post mor-  
tem collatum videtur esse potestas illa,  
quâ multis opem eius implorantibus  
& inter manifesta castitatis pericula la-  
borantibus Berchmannus ipse suppetias  
venit. Etenim sæcularium, religiosorum  
etiamque hominum cuiuscunque ordinis  
aut sexus plurimi Angelica eius puritate  
cognita, cum in grauissima & præsen-  
tissima castitatis discrimina subinde in-  
cidissent, ne quidquam illis sese explicare  
conati, eius tandem ope remedium  
inuenere, libidinum suarum ignibus re-  
pentè, veluti affusâ aquâ extinctis. Post  
eâ verò ad illustrandam DEI, eiusque  
seruuli Berchmanni gloriam, accepta  
beneficia apud varios professi, testandæ

*Separ. pag 89.*

*gra.*

gratitudinis ergò, aut per se ipsi, aut per  
 alios, votivas memoriæ tabulas atque  
 anathemata monumento eius suspende-  
 re, perpetua dein veneratione, religio-  
 néque castissimum iuuenem profecutis  
 vt videatur Beatissima Virgo hunc ser-  
 uum suum ac filium Berchmannū non  
 modò viuum prærogatiuis, sed & mor-  
 tuum prodigijs ornare voluisse.

## X I L

## HYPERDVLIÆ SPECIES.

Recitare nouies hanc B. V.  
 Encomiasticam : Beata viscera

MARIE Virginis, quæ portauerunt  
 æterni Patris filium.

## S. I.

**N**Ouenarius numerus apud Pytha-  
 goræos symbolum, & tessera fuit  
 hominis Martij & bellicosi teste Petro  
 Bongo cap. de Nouenar fol. 240, & An-